Q. D. B. V.

JUSTITIA PRUDENS ET BENIGNA

Seu

Disputatio Juridica

DE

DISSIMULATIONE

occasione

L. 14. ff. de Offic. Præsid. & affines

tam Juris Canon. quàm Civil. textuum.

Quam

ex

INDULTU MAGNIFICI JCTORUM ORDINIS

PRÆSIDE

Dn. ADRIANO BEIERO, U.J.D.

CELEBERRIMO, ET CURIÆ PROV. SAX. ADVOCATO ORDINARIO MERITISSIMO.

Dno. Patrono ac Præceptore singulari

honoris & observantiæ cultu

prosequendo

Publicè ventilandam proponit

CHRISTIANUS Heydeck/

Cizensis: Autor & Respondens

Ad diem Decembr. horis locoque consvetis

JENÆ, Stannô Müllerianô Ann. 1676.

Jh. Exc. H. D. Riemer n.

J. J.

Procemium.

Cùm illi, à quorum nutu pendeo, aliæque causæ sociæ indiès meurserint, ut eum cui animum intenderem laborem, brevi ederem, lucique exponerem; relligionem quidem duxi monitis ipsorum obsequium denegare; verùm, in quo genere præcipuè vires periclitarer, diu multumque hæsitavi. Hæsitanti tandem autor fuit Excellentissimus Dominus PRAESES, ut, quæ coràm est, de DISSIMULATIONE tractationem qualemcunque elegerim, eandemque sic adornaverim, ut occasione textûs cujusdam juridici, methodô analyticâ tractandi, ansam sumserim, negotium antè in certa hypothesi seu concreto tractatum, ad thesin revocandi, methodoque syntheticâ in abstracto considerandi. De qua inten-

tione conduceret fortè plura præfari ; Sed quoniam mea mihi (liceat sic cum Limnæo loqui) etiam sine smegmate & cerussa placebit sponsa ; rem longiore verborum axiomate omissô, & Divino Numine Deô ter Opt. Max. clementissimè annuente, ipsam felici omine aggredior, L. Benevolentiam certò mihi promittens.

Cap. I.

Analysis.

Macer librô secundô de judiciis publicis.

Divus Marcus & Commodus, Scapulæ Tertyllo rescripserunt in hæc verba : Si tibi liquidò compertum est, Ælium Priscum in eo furore esse, ut continuâ mentis alienatione omni intellectu careat, nec subest ulla suspicio, matrem ab eo, simulatione dementiæ occisam, potes de modo pœnæ ejus Dissimulare, cùm satis furore ipso puniatur : & tamen diligentius custodiendus erit, ac (si putabis) etiam vinculô coërcendus, quoniam tam ad pœnam, quàm ad tutelam ejus,& securitatem proximorum pertinebit. Si verò (ut plerumque assolet) intervallis quibusdam sensu saniore non fortè eo momentô scelus admiserit, nec morbo ejus danda est venia, diligenter explorabis ; & si quid tale compereris, consules nos,ut æstimemus, an per immanitatẽ facinoris

ris

ris, si cùm posset videri sentire, commiserit, suppliciô afficiei dus sit. Cùm autem ex literis tuis cognoverimus, tali eum locô atque ordine esse, ut à suis vel etiam in propria villa custodiatur. Rectè facturus nobis videris, si eos, à quibus illo tempore observatus esset, vocaveris & causam tantæ negligentiæ excusseris, & in unumquemque eorum prout tibi levari, vel onerari culpa ejus videbitur, constitueris; nam custodes furiosis non ad hoc solum adhibentur, ne quid perniciosius ipsi in se moliantur, sed ne aliis quoque exitio sint. Quod si committatur, non immerito culpæ eorum adscribendum est, qui negligentiores in officio fuerint.

§. I. Ex principio statim hujus legis duo nobis palàm fiunt, (1.) quinam ejusdem fuerint Autores sive conditores (2.) quænam illius sit species & externa forma. Hanc quod attinet, vel ex ipso vocabulo Rescripserunt conjicere licet, cuinam specierum ab Imperatore Justiniano *§. 6. J. de J. N. G. & C.* recensitarum, annumeranda sit: Epistolam scilicet, vel voce in curiis nostris frequentiori, Rescriptum repræsentat; quid verò inter hoc & cæteras Principum constitutiones differentiæ intersit, cùm scopum nostrum peregrè attingat, inquirere supersedemus.

§. II. Illos, legis autores quod concernit, fuerunt hi D. Marcus & Commodus, Pater & Filius, Imperatores Augusti. Pater quidem in *Fast. Consular.* & alibi pluribus nominibus venit, diciturque M. AURELIUS ANTONINUS PHILOSOPHUS, quod postremum tamen ipsi non cognomen fuit, prout Besoldus (quem in hoc ipso à C. A. Ruperti notatum legimus *Observ. cap. 14. p. 323.*) innuit, sed ἐπιθέτως non ἐπωνύμως locuti sunt, qui Philosophum illum appellarunt, quô pactô fortè ab externo quodam adjuncto, & ex ore privatorum Fridericum Barbarossam, Henricum Aucupem &c. dixeris. Adoptatus est D. Marcus jussu Hadriani ab Antonino Pio Antecedaneo suo. Ad Imperii culmen evectus fuit, simulque consortem ejus fecit Fratrem L. Commodum, aliàs L. Ælium Aurelium Verum Antoninum di-

ctum *A. V.* 913. *Nat. Christ.* 162. *scipsis II. Consulibus.* Primi omnium Imperatorum hi fuerunt, qui bini regnare cœperunt, qui etiam passim in jure Divorum Fratrum nomine veniunt. *Vid. Lex. Calvin. sub voc. Div. Frat.* Multum negotii facesserunt D. Marco Britanni primùm, deinceps Parthi, à quibus unà cum fratre & Parthici nomen adeptum ferunt: itidem Marcommanni, contra quos victoriam aliquando Christianorum precibus obtentam histori æ celebrant. Posthæc bello civili implicitus iterum, sed moderatissimus victor extitit. Postremum, in Germaniam expeditionem meditatus diem obiit, sicque ingentibus conatibus mors intercessit *A. V.* 932. *N. C.* 181. *d.* 16. *Calendar. April.* postquàm una cum fratre Vero Aurelio VIII. Solus æquè VIII. & cum Commodo filio IV. annos imperaverat. Vir, quoad vixit D. Marcus Optimus audivit, liberalitate plurimùm delectatus est. Ipse à vitiis sibi cavens, aliorum tamen peccata leniter toleravit, dum nec investigavit ea curiosiy nec punivit; bonos prosecutꝰ est laude, secus gesta Dissimulatione transmisit, de quo in lege quoq; nostra non obscurũ documentum edidit. Adjumento fuerunt studia literarum, quibus supra omnes Imperatores excelluit. Sed accessit naturæ dexteritas, in virtutem adeò propensa, ut adhuc puer ab omnibus diligeretur, æstimaretur: quod insigne ejus encomium, cui volupe fuerit, prolixùs legere poterit apud Christian. Adam. Ruperti *Observ. ad Synops. Besold. cap.* 14. *p.* 331.

§. III. Ast laudavimus Marcum, & ferè pœnitet! quid ita? habuit filium Commodum nunquam commodum, non patriæ patrem sed vitricum, sed hostem & parricidam! imò hunc qui laudaverit, vitia ipsa laudasse videbitur; totus quippe nil nisi scelus fuit. Dicam paucis: hircosus, putidiorque omnibus cloacis princeps hic extitit. *vid.* prædictus C. A. Ruperti *loc. cit. p.* 333. Occisus est Commodus *A. V.* 944. *N. C.* 193. postquam summa rerum penes ipsum fuerat unà cum patre D. M. IV. solum verò XII. annos, *vid. Fast. Consul. b.*

§. IV. An-

§. IV. Ansam legis nostræ condendæ Imperatoribus dedit Præses Scapula Tertyllus, qui in casu isto dubio titubans consilium flagitaverat. Sed quæris, quid opus habuerit Scapula rem ad Imperatores deferre, cum utraq; jurisdictio Præsidibus competierit? *l. 2.3 4. seqq. ff. de Offic. Præs.* imò quod merum quoque imperium, & in specie jus gladii habuerit *l. 6. §. 8. eod. l. 8. §. 1. ff. de pæn.* Magnif. Dn. Struv. *S. C. Exerc. 4. th. 34.* Verùm Resp. Præsidem utique precisè non obstrictum fuisse, Principes adire, quando sibi & de delicto & pœnæ genere constitit, sed tali modô in lege nostra res sese non habet: quàmvis enim ipsum facinus in aprico fuisset, eò tamen, quòd furiosus deliquisset, non omni dubiô carebat. De pœnæ igitur qualitate sciscitari Præses tenebatur, juxta expressam *l. 8. §. 1. ff. de pæn.* quod etiam lex nostra innuere videtur in verbis, & si quid tale compereris, consules nos, ut æstimemus (German. forsan: Hättestu nach fleissiger Untersuchung der Sachen Bewandtnüß unterthänigst anhero zuberichten/ und darauff fernerer gnädigsten Verordnung zuerwarten:) Quid, quod hôc ipso jus aggratiandi Imperatores respexisse autumemus, quod provinciæ Præsidibus neutiquam competebat, sed inter Regalia & jura Majestatis referebatur *l. 4. l. 31. §. 1. ff. de pæn.*

§. V. Res vel materia ipsa & contenta legis nostræ, pro meo quidem judicio, in quatuor membra dividenda videntur. In (1.) Imperatores Præsidi animadversionem circa illud, quod furiosus patraverat, facinus, matricidium nempe, ita dirigendam committunt, ut dissimulatô justitiæ rigore, pro ratione tamen circumstantiarum, assumtâ quadam nescientiâ, ipsum quoque delictum ac pœnam dissimulet, nec afflicto afflictionem addat *l. 28. fin. C. de Episc. aud.* In (2.) injungunt Præsidi furiosi custodiam, quô hæc qualiscunq; coercitio, & ipsi furioso sc. pœnæ loco, & aliis pro securitate esse possit. In (3.) jubent Imperatores Præsidem paulò penitius in morbi delinquentis qualitatem, & quoniam plerique furorem vel dementiam fingere soleant *l. 6. ff. de Curat. furios.* commissi facinoris tempus inquirere,

quirere, seque de his denuò certiores facere ac consulere, quò in eventum & secundùm delicti atrocitatem meritò affici supplicio posset *l. 13. fin. ff. de Offic. præs.* (4.) Imperant, ut rationem quoque eorum habeat præses, quorum custodiæ tunc creditus fuisset furiosus, cum tam immaniter delinquendi copiam habuisset, ut causam tantæ negligentiæ excutiat, i. e. inquirat, uti *Gloss.* hanc vocem exponit, & in unumquemque pro arbitrio animadvertat, quò imposterùm cautius mercari & munus suum majori diligentiâ subire addiscant.

§. VI. Summa tandem totius legis huc redit elaborandum esse Præsidi eo, ut in proposito negotio ubivis æquitatem observet, Benignitatem cum Prudentiâ conjungat, quod non mutandum, nec tamen rigorosè coercendum, leniter toleret; cæterum ab iis, quam mereantur, pœnam justè exigat, & ita suum cuique tribuat *§. 3. J. de Just. Jur.*

VII. Casus talis est: Ælius Priscus quidam furore (num perpetuô & continuô *l. 6. pr. & l. 7. pr. C. de Curat. fur.* num verò alternativô, qui non sine laxamento *d. l. 6.* per intervalla *l. 9. C. qui test. fac.* & intermissionem *l. 20. §. 4. ff. qui test. fac.* contingere solet, jam non definio, priorem tamen præsuppono) percitus, & à necessariis *l. 13. ff. de offic. præs.* i. e. affinibus vel cognatis suis, Gloss. ibi. vel aliis, quibus curæ esse debuerat, negligenter custoditus ac solutus factus matrem occidit. Præses loci Scapula Tertyllus, an & quânam pœnâ Priscus puniendus sit, dubius, factum D. Marco & Commodo Imperatoribus Augustis, quâ decet observantiâ exponit. Hi rei gravitatem probè ventilantes & cum Consiliariis deliberantes, horum ministeriô Tertyllo Præsidi rescribunt: Si de eo, quod explicuisset, negotio liquidò sibi compertum esset, satius fore, si de modo pœnæ dissimularet.

§. IIX. Quæritur hic, an talis modi Rescripto Præses tutò obtemperare, & Prisci furiosi pœnam, absque injusti Judicis nota dissimulare potuerit? Obstare enim videtur

(1.) l. 3.

(1.) *l. 3. §. 5. ff. de negot. gest.* ubi adversus furiosum actionem instituere quem posse legimus, adeoque eum obligatum esse intelligere debemus. Jam verò, quicunque obligatur ex alterius facto, ille multòmagis obligabitur ex proprio. Atqui furiosus &c. Ergò. Porro: Quic. erit obligatus ex facto aliquo, ille propter id factum etiam reddere rationes debebit. Atqui furiosus. E. Ulterius: Quicunque tenetur ad rationes, de eo in rationibus exigendis judex licitè non poterit dissimulare, Atqui furiosus in h. n. casu. E.

§. IX. Verùm Resp. ad primum (quô destructô, cætera sponte suâ corruent) limitando majorem: Quic. obligatur ex alterius facto, ille etiam obligabitur ex proprio scil. eô modô, quô obligatus est ex alieno. Obligatur autem furiosus, ubi consensu adeò opus non est. Dn. Struv. *S. C. Exerc. 6. th. 37.* hinc cuivis facilè patescit, ex hoc fundamento, ad casum nostrum minùs aptè inferri, cùm in delictis, utpote quæ inter contractûs, quàmvis improprios referuntur, quam maximè consensus, proëresis & dolus requiratur *l. 14. ff. ad Leg. Corn. de Sicar.* qui tamen in furioso simpliciter & perpetuò tali (de cætero enim, cui per dilucida intervalla morbus obvenit, qui & testamentum facere potest, aliud obtinet *l. 9. C. qui testam. fac.*) non præsumitùr *Gail. 2. Obs. 110. n. 20.* Quâ Majore prioris argumenti sic limitatâ, in altero utroque Minor neganda erit.

X. Obstat (2.) *l. 1. §. 2. ff. de dol. mal.* ubi Servius dolum malum ita definivit: Esse machinationem quandam alterius decipiendi causà, cùm aliud simulatur, aliud agitur, Hîc reciprocari percipimus simulationem cum dolo malo, quem tamen de judice vel mente saltem concipere piaculum foret. Cùm enim litigant homines, ad judicem confugere consveverunt; ad judicem autem adire, est ire ad jus ipsum, quippe cùm judex nihil aliud sit, quàm δίκαιον ἔμψυχον, jus quoddam animatum Dn. Struv. *S. C. Exerc. 44, th. 14.* Jus verò esse, jus exercere, & dolum malum fovere, dissimulare, sanè sunt incompatibilia. Huic accedit, quòd *Gloss.*

Simulationem & Dissimulationem mirabilem malitiam dicat, ad *l. 19. ff. de Offic. Praes.* quae itidem malitia cum jure nullo modô stare potest, ex quo elucet, quod Praeses in nostro casu absque injuria dissimulare non queat.

§. XI. Sed res salva est; definitionem Servii quod concernit, praetereamus nunc, quòd illa ipsa non omnibus, quàmvis Cicero quoque *lib. 3. offic.* eam amplexetur, arrideat, sed uterque notetur vid. Magnif. Dn. Schilter, Patronus meus aeviternùm colendus, *Manuduct. Philos. Moral. cap. 6. §. 6.* & Labeonis, qui Servium corrigere sategit, ab Ulpiano, qui tamen Servii definitionem aliquando ipsemet probasse videtur *l. 7. §. 9. ff. de pact.* praeferatur; & mentem potiùs Servii inspiciamus, qvae fuit, sicut non omnem in genere describere dolum, ita nec omnem simulationem vid. Excell. Dn. Praeses *in not. ad Disp. Schnob. ff. 4. th. 14.* Quô pactô Labeoni, qui per dissimulationem deservire quendam, i. e. vel sibi vel aliis prodesse posse asserit, *l. 1. §. 2. fin. ff. de dol. mal.* non contradixit, & sic doli mali à Servio tradita definitio nec nobis obstat. Glossa quoque nihil probat, nam malitiam idem ibi esse censeo, quàm prudentiam & sagacitatem *c. 9. c. 14. extr. de despons. impub.* quae prudentia dissimulationem minimè vitiosam reddit. Prudentissimum enim est, non sibi tantùm, sed & aliis, quibus prodesse debes, prospicere: Et verò saepius contingit, ut neque tibi neque tuis neque toti Reip. prodesse possis, nisi veritatem celes M. Kirchmaier *Disp. de bon. & mal. polit. §. 28.* Quò respicit Serenissimus Saxo: Wer nicht kan übersehen der kan auch nicht regieren Fürsten-Schul-Ordn. *Tit.* Vom Ambt anderer *Praecept. Corp. Sax. Noviss. p. 311. vers. 6.*

§. XII. Quid, quòd non omnis aequitas scripta sit; hinc enim tritum istud: summum jus summa saepè injuria. Si igitur judici aliquando dissimulare, connivere non liceret, quot incommoditates inde eventurae, quot non injuriis vel innocentissimus nonnunquàm afficeretur? Aequitatem Philosophus describit, quòd sit ἐπανόρθωμα juris legitimi eâ parte, quâ deficit ob universale, non secundùm legem

5. Ethic.

5. *Ethic.* 14. ubi expreſsè indicat, non conveniens eſſe judici, manûs ligatas habere; cui nec lex divina refragatur; licèt enim hæc ab homicidis, qui dolosè & deſtinatô propoſitô alterum interemerint, talionem exigat, *Exod.* 21. *verſ.* 12. & 14. de illis tamen, qui per accidens & præter intentionem tale quid commiſerint, ipſummet Sanctiſſimum Numen diſſimulare (ſi loqui ſic licet) voluiſſe, exinde liquet, quòd aſylis ipſis proſpexerit *verſ.* 13. *d. l.*

§. XIII. (3.) Obſtare videtur, quòd Dd. ex ipſa hac noſtra lege colligere velint, furioſum etiam in furore ſuo puniendum, & per conſequens minimè diſſimulandum eſſe. Ludwell. *Diſp. fin. lit. d. & plur. ibi alleg.* Sed Reſp. (1.) quæſtionem ibi non eſſe de eo, qui in furore, quem caſum tamen nos intendimus, ſed qui ante furorem vel tempore intervalli deliquerit. (2.) Quod hæc Ludwelli ſententia non omnibus æquè probetur, ſed plurimos contradicentes inveniat, cùm longè alius legis ſenſus ſit, & eum quidem, qui per intervalla furioſus, tempore ſanæ mentis iniquum patraſſet, puniendum dicat, non verò pœnam in ipſo furore exequendam dictitet. Nobiliſſ. Dn Simon. *Curioſ. Juſtin. th. 6. Gail. 2. Obſ. 110. n. 22. Carpz. prax. Crim. part. 3. qv. 145. n. 22. ſeqq.*

Cap. II.

Syntheſis.

§. XIV.

Hiſce ſummâ, quâ potuit fieri, brevitate ita præmiſſis, cuilibet jam nunc facilè innoteſcet, quò ſcopum noſtrum direxerimus, ubive materiæ ſedem fixerimus; operæ proinde pretium erit, ut progrediamur, & alteram quoque, quam in procemio ſignificavimus partem, attingamus. Quò verò ordine id fiat, vocis primò etymon paucis delibabimus. Habet illa originem ſuam cuivis aliàs obviam, à verbo diſſimulare (cujus compoſitio vel pueris in Scholis

 nota)

nota) quod ipsum variâ gaudet significatione; aliquando enim exprimitur per abnegare, occultare vertuschen. *c. 36. de Simon.* colorare, sub alio nomine tegere; colludere *l. 2. §. 4. C. de Jurej. propter calumn.* celare; removere verhörchen; connivere ein Auge zudrücken / durch die Finger sehen. *c. 28. de Elect.* tolerare verschmertzen / scrupulosâ inquisitione abstinere, proque diversitate personarum & negotiorum: Non deferre *l. 1. C. de Evnuch.* non admonere; reticere hinterhalten &c. Sicuti in tractatione ipsa uberiùs patebit: & differt à simplici suo Simulare: Simulatione enim, quæ alio nomine fictio *l. 6. ff. de Curat. furios.* it. palliatio *in not. Dn. Præsid. ad Schnob. Disp. Feud. 3. th. 7.* it. color quæsitus dicitur, ponere, agere vel dicere solemus, quæ non sunt; cùm Dissimulatione, ea quæ sunt, non esse simulemus, atque adeò removeamus.

Definitio.

XV. Definitio circiter hæc esse potest: Dissimulatio est actus Justitiæ prudentis & benignæ, quô hinc jura nobis competentia, illinc contraventiones aliorum, assumtâ quadam ignorantiâ cautè prætерimus, & præcavendi majoris mali & injuriæ gratiâ, curiosè inquirere supersedemus.

Differentia.

XVI. Differt Dissimulatio ita definita à Dispensatione, quàmvis enim hæc describatur, quod sit juris relaxatio & mitigatio Carpz. *p. 4. c. 24. def. 14. n. 1.* & sic quoad benignitatem conveniat; licèt insuper singularis requiratur in dispensando Magistratûs prudentia, *Id. ib. n. 7.* longè tamen distat in eo, quod esse suum, non ut illa, in assumtæ nescientia constituit: Probam enim & manifestam habere notitiam solet Princeps vel magistratus, hujus vel illius negotii, in quo dispensatio desideratur, nec eandem occultat; hoc tamen agit, quòd casum legi quasi subducit, nec vires legis ad illum extendit: quod Deum ipsum fecis-

se quidam autumant, dum Israëlitas jussit, aurea & argentia vasa ab Ægyptiis commodata accipere, & secum auferre; eô ipsô quippe non voluit legem furtis alias positam, ullô modô immutare, sed potiùs actum hunc non ex eorum numero esse. Siquidem aliquando apparet, ac si jus naturæ mutaretur, quando propter adventum circumstantiæ extrahitur objectum è numero eorum, quæ lex comprehendebat. Verùm, tunc sine ulla ipsius legis naturæ vera mutatione, lumine rationis dictante & interpretante, id eodem jure naturæ justum est, quod aliàs regulariter, non considerata illa circumstantiâ, injustum. Dn. Struv. *S. C. Exerc. 1. th. 59.*

§. XVII. Differt (1.) in eo dispensatio à dissimulatione, quòd illa cum subditis communicari non possit, sed ad majestatem saltem adstricta sit. Jacobs *Disp. inaug. de dispens. cap. 2. §. 7.* Quoniam ejus est leges removere, qui & posuit; cùm tamen hæc secus sese habeat, & in dissimulando jure & injuria privatis etiam communis sit, ceu infra patebit. (3.) differentiæ ratio est, quòd securus sit ille, cum quo dispensando transactum, adversus omnem ulteriorem inquisitionem & pœnam; cùm dissimulanti quandoque integrum sit, aliâ occasione injuriam suô modô refricare *arg. §. 8. J. de obl. quæ ex del. nasc.* & eorum quæ infrà dicentur.

Causa Efficiens.

§. XVIII. Causa efficiens dissimulationis, eaque principalis est ipsa Justitia, & quidem Prudens & Benigna. Justitia enim in se & suo rigore considerata, quatenus definitur, quòd sit constans & perpetua voluntas jus suum cuique tribuendi, dissimulationi locum vix relinquere videtur, utpote quæ delinquentem absolutè considerat, & dolorem pro dolore exigit, nec inter homicidas aut fures, nobiles an ignobiles sint, ullam differentiam instituit. Dn. Præs. *ad Synops. Schulz. lib. 1. tit. 1. p. 2. 3.*

§. XIX. Cum verò juris illud præceptum: Suum cuique tribuere, alterum sub se comprehendat: Neminem læ-

dere; ultrò patet justitiæ sensum quandoque benigniorem fieri posse, imò debere, quippe quòd, ceu monuimus, summum jus summa sæpe fiat injuria, & scrupulosâ nimis inquisitione jurium nostrorum & contraventionum proximi, eundem de facili lædere, & injuriâ afficere possimus. Ast verò hæc demum vera, juxta Tryphoninum *in l. 31. §. 1. ff. Deposit.* Justitia est, quæ suum cuique ita tribuit, ut non distrahatur ab ullius personæ justiore petitione: Ideò de rigore quandoque remittendum.

§. XX. Huc apprimè forte etiam faciunt, quæ habet M. Zv. Buxhornius: Non ob quævis delicta bellum est inferendum, sed ob atrociora: Aliud enim condonandum est humanitati, quæ cùm proclivis sit in vitia & peccata, si semper omnia sint punienda, continua bella essent habenda. Ideò in civili quoque jure minora errata non puniuntur, ne continua sit severitas. Præterea extremis tantùm malis, extrema remedia sunt adhibenda. Bellum verò extremum est remedium, ideo non nisi extremis malis est accommodandum. Interest itaque Reip. quædam dissimulari, quædam bello vindicari. hucusque Buxhorn. *Inst. Polit. lib. 1. c. 15. explan. §. 12.* Quò collimare etiam videtur Oldendorpius *Class. 1. Act. 1. p. 8.* ubi dicit: quod abusûs, si modò non prorsus repugnent judicio naturæ, licèt paululum à ratione discedant, tolerari præstet, quàm turbari publicam tranquillitatem.

§ XXI. Unde nec omnia negotia obligatoria potestatem stringendi jure civ. acceperunt, ne scil. cives continuis implicarentur litibus, & Judices à magis arduis, Reiq; publicæ salubrioribus expeditionibus abstraherentur. Quoniam tamen eâdem Benignitate pariter ac nimiô rigore & scrupulositate nobismet ipsis nocumento esse possimus, ideò non Benignitatem modò, verùm & Prudentiam exigimus, ut si non proximo, certè nobismet parcamus. Nam hoc juris naturalis est, ut quisque seipsum ante omnes & quàm maximè diligat, ex vulgari brocardico: Charitas ordinata incipit à se ipsa. Magnif. Dn. Schilt. *Manuduct. Phil. Moral. c. 5. §. 13.*

§. XXII.

§. XXII. Et hoc est, quod Ericus Daniæ Rex Henrico Megapôleo, de subditorum suorum protervia & petu antia prolixè coram se quærenti suggerebat, hortando, ut altâ mente dolorem reponeret, commodiorique tempori reservaret ultionem. Lindenberg. *Chron. Rostoch. lib. 2. c. 6. p. 50. pr.* Nimirum, sicut medicus non facilè in ipso paroxismo ac membro affecto medicinam adhibet, ne morbum irritet magis atque isthuc derivet: ita imprudenter sanè Princeps plebi tumultuanti se immiscebit, iras flammasque minitans.

§. XXIII. Accidit enim, ut jura nostra rigidiùs exsecuturi, nobis ipsis incommoda, adeoque propriam læsionem conciliemus, quam tamen benignitate & prudentia jus nostrum temperando, & injurias illatas Dissimulando evitare possimus. Nam qui Dissimulat injuriam, callidissimus est, *Gloss. ad l. 1. §. 2. ff. dol. mal.* Id quod callidissimè fecerunt Johannes & Albertus Magapoleos Duces: hi enim, cùm Anno 1410. lolium seditionis Wismariensis in herba sopire vellent, præsentem vindictam, ne quid humanitùs sibi contingeret, coquere ac differre, & tempestati cedere, quàm plebi tumultuanti fidere maluerunt. Lindenb. *Chron. Rostoch. lib. 2. cap. 16. p. 72.*

Subjectum.

§. XXIV. Subjectum Dissimulationis constituunt omnes, quibus jura quædam competunt, eaque negando injuriæ inferri possunt: Scilicet non personæ solùm publicæ & magistratûs, qui jura in alios exercent, sed etiam privati, qui quovis modô juribus frui possunt. Publicis quidem personis obstare videtur *l. 11. pr. ff. de pœn.* ubi judex præprimis admonetur, ut æquâ lance causas trutinet, & ne aut duriùs, aut remissiùs quid constituatur, perspiciat. Verùm, quando statim additur: planè in levioribus causis proniores ad levitatem judices esse debent, in gravioribus pœnis severitatem legum, cum aliquo temperamento benignitatis subsequi; videre est, nec leges justitiæ rigorem usque

que

que desiderare, hinc etiam Gothofredus *sub lit. C.* addit: potest interdum judex ex causa leges & statuta transgredi, idque ratione ætatis, vel propter necessitatem vel multorum salutem, si justa causa fuerit.

§. XXV. Sunt enim negotia aliquando tam ardua, tam intricata & variis dubitandi rationibus involuta, ut quid æquitati magis consentaneum sit, non facilè appareat; ubi magistratus, ni impingere velit, dissimulatione omninò opus habeat.

§. XXVI. Casum talismodi in medium producit Carpz. *Jprud. Consist. lib. 2. defin. 237.* Annis scil. superioribus, in turbulento rerum in Germania statu, acciderat, ut hostili aliqua factâ irruptione, plures in loco & mulieres & virgines violenter stupratæ essent. Exortâ postmodùm quæstione: num talis stuprata antea virgo, & nondum imprægnata, sertum vel coronam portare prohiberi, caputque peplô tegere cogi posset? in utramque partem disputari cœpit.

§. XXVII. Affirmativam qui tenuerunt, sententiam suam, prægnantibus fulsére rationibus: Coronam nempe signum virginitatis, hanc verò corporis incorrupti integritatem esse, quam utique per vim etiam compressa amitteret. Gloss. *Germ. ad art. 1. lib. 3.* Landr. *n. 1.* quâ verò sublatâ tanquàm principali, sertum ut adjunctum, necessariò quoque tollendum sit.

§. XX IX. Negativam amplexi, & qui isthoc modô vim passas mitiùs tractandas putarunt, hôc fundamento usi sunt: virginitatem nempe & pudicitiam ceu virtutem, non in corpore, sed in animo consistere, & quidem ex mente August. *de Civit. Dei lib. 1. cap. 18. can. de pudic.* peplum quoque seu vittam pœnæ genus esse earum, quæ nefariô & spontaneô coitu sese polluunt, quâ personam aliàs afflictam, & cui illata vis sat pœnæ esse posset, insuper afficere, iniquitatem saperet &c.

§. XXIX. Res demum ad Sereniss. Sax. Electoris supremum Consistorium decidenda pervenit, quod tamen in

in hac ambiguitate, nec certi quid decidere, nec indefinitam ponere regulam voluit, sed dissimulandum esse rescripsit; Verba præter alia hæc sunt: Daß in solchen Fällen behuthsam zugehen / insgemein alles scrupuliren / und nachgrübeln einzustellen (hisce notatur nimia curiositas) & paulò post: Der Feinde verübte Unthaten mit dem Mantel Christlicher Liebe / umb der beleidigten Persohnen Willen zuzudecken. vid. Carpz. *d. l.* Actum igitur Justitiæ benignioris edere Prudentissimus Judex dissimulando voluit, quoniam res sic comparata erat, ut pro alterutra parte absolutè definienda, facilè limites transilire potuerit.

§. XXX. Aliquando negotium tale est, ut in modo decidendi magistratus hæsitare non opus quidem habeat, nihilominùs tamen, quoniam diversis circumstantiis atque adeò necessitate quadam adigitur, justitiæ severitatem differre, & confugere teneatur ad prudentem dissimulationem.

§. XXXI. Sic Serenissimus Saxo, cum relatum accepisset, rusticam pubem hinc inde in villis, & quidem eo tempore, quô cultui divino litandum, & conciones audiendæ forent, coire ac in cauponis in seram usque noctem choreas ducere, hisque illecebris illectos variis inconvenientibus ansam dare; irrepens quidem hoc vitium neutiquàm dissimulandum censuit, postquàm tamen edoctus fuerat fore, ut si choreis ejusmodi prorsus interdiceret, indomita juventus, extra territorium suum ad saltationes migratura, suum ibi dilapidatura, & sic lucrum aliis allatura esset (Würden dem Lande die Nahrung entziehen) ex duobus malis minus eligendum duxit, huic vero sic mederi constituit, ut lasciviæ quidem limites poneret, cæterùm dissimularet; quam dissimulationem hisce verbis innuit: So lassen wir biß auff fernere Verordnung geschehen. *General. Art. A.* 1580. *Tit.* von Täntzen. *Corp. Sax. Noviss. p.* 96.

§. XXXII. Quandoque alias quoque ob causas & circumstantias Justitiæ huic Benigniori & Prudenti insistendum venit. Contingit sc. ut juribus nostris strictiùs

 inhæ-

inhærentes lucrum quod capessere aliàs possemus, perdamus, & damnum, quod evitare liceret, arcessamus. Quas angustias per dissimulationem declinare studuit Pontifex Rom. casus erat talis: Almachæ in Hibernia Albertus quidam ArchiEpiscopus electus fuerat; de qua electione cùm dubitaret. *S. Steph. in Cœl. monte Presbyter, Cardinalis & Ap. Sed. Legatus*, num rita & firma esse posset, ac Pontificem consuleret, rationes dubitandi sequentes adducens: factam fuisse Alberti electionem omnibus in ipsum non consentientibus; Albertum ipsum prodigum esse; administrasse ante confirmationem; in die consecrationis suæ, cùm nondum pallium haberet, ordines celebrasse &c. hoc à Pontifice responsum tulit: Tu satis ad id potes sub dissimulatione transire. Factam nim. præcipitantiam & alios defectûs remittendos, vel assumtâ ignorantiâ occultandos censebat (er würde müssen durch die Finger sehen / ein Auge zudrücken) rationes decidendi has reponebat: Quòd electus fuisset Albertus, Legatô nondum præsente (1) quòd idem obtineret in metropolitanis Angliæ, Franciæ, Alemanniæ, & aliarum partium remotarum (3.) quòd Rom. Sedes id pateretur, Ecclesiarum utilitate pensatâ (4.) quòd si tantô tempore Ecclesia administratore careret, nec pallium ritè obtineretur, non modicum detrimentum incurreret, adeoque cum remotis & difficitis dispensandum esse *c. 28. & infr. 2. extr. de Elect. c. 44. circa fin. ib.*

§. XXXIII. Sic Serenisf. Sax. Elector, cùm perspectum haberet, ingenia quædam hominum præprimis verò juvenum, lenitate magis, quàm severitate tractabiliora esse; Præceptoribus (quibus certô quodam respectu magistratûs quoque nomen non omninò fortè denegandum erit) Scholasticam disciplinam commendans & varia ejus præcepta tradens, inter cætera etiam dissimulationem injunxit: Was aber schlechte und geringe Fehl und Gebrechen seyn / sollen sie sich zu Zeiten nach Gelegenheit stellen / gleich als hätten sie es nicht gesehen / und doch dem Knaben so viel zu verstehen geben / daß es ihnen nicht allerdings verborgen / und mißfällig

fällig sey. Fürsten-Schul-Orden *Tit.* von der *Disciplin.* und Zucht *verſ. 11. Corp. Nov. p. 313*

§. XXXIV. Privatis (nam quæ dicta ſunt, magiſtratum præſertim & publicas perſonas concernunt) obſtare videtur, quò minùs juribus ſuis renunciare, & hunc vel iſtum actum diſſimulatione transmittere posſint, quòd omni conamine (quàmvis hoc ipſum & ad publicas extendi debeat) in id enitendum ſit, ut verum ex animo cum ſuo quisque proximo loquatur, & veracitati, quantum fieri poteſt, integritati, fidei, & exiſtimationi inſerviat. Candidi enim ac ſinceri pectoris eſt, dicere quod ſentias ſcapham, ſcapham dicere convenit: Man ſoll nicht Brey im Maule haben / ſondern jedem unters Geſicht ſein dürre heraus ſagen / woran ers gefreſſen.

§. XXXV. Verùm cùm non expediat ſæpènumerò intempeſtivè profeſſa veritas, nec noceat ſervata domi: in certis quibusdam caſibus licitam eſſe diſſimulationem privatis quoque, nemo, ſi ſanus ſaltem, penitùs negaverit; præſertim quòd non ſemper agatur de veritate proferenda, ſed & de eadem indaganda, ubi ſciſcitatio & ſcrutatio in vitium curioſitatis caſura erat.

§. XXXVI. Hinc licèt deceat quemq; ſcire conditionem ejus, cum quo contrahit *l. 19. pr de R. J.* & præprimis qui alienis negotiis ſe immiſceri, aut in ſe transferri patitur, ſtatum, habitudinem, qualitates, vitia, & alias eorum circumſtantias accuratè indagare ac penſitare convenit: dum cautè modò ac ſine læſione famæ, & conſequenter citra offenſam eorum fieri poteſt; Nam multoties crabrones excitaverit, odiumque incurret. Quia enim commercia facilitatem, affabilitatem, fidem ac credulitatem requirunt, unde proverbium: Credit ſey beſſer denn baar Geldt / ortum; Sanè qui nimiâ ſubtilitate atque tædioſâ inquiſitione aliis moleſtus exiſteret, ab omni converſatione ſeipſum remoturus eſſet atque excluſurus, omnibus eum tanquam oneroſum & vitæ civili ineptum ac diffidentem vitantibus, als einen Mißträuigen und verdrießlichen

Menschen / der nur immer was zu grübeln und zu sticheln hätte / oder hervor suchte.

§. XXXVII. Quod si etiam in eo detrimenti quid pateretur, id certè aliunde pensatur, & sepositis juris apicibus ex æquo & bono in ipsius favorem proceditur, ut indemnis servetur. Jura non sinunt fidentes sibi decipi ac in damno esse. Hinc, si cui debitoris sui debitor delegetur, earum exceptionum, quæ contra priorem creditorem, rebus in pristino statu constitutis competiissent, ipse securus est; neque contra eum, ex novo capite delegationis, contra delegatum sibi debitorem agentem, dantur exceptiones; licèt priori contractui vitium unum atque alterum inhæserit: Quia novatione accedente purgatæ sunt, & res planè aliam faciem accepit, ut adeò non teneatur delegatarius magnopere in illa vitia aut statum prioris obligationis, ad se & hodiernum diem non pertinentis, inquirere; & consequenter si omiserit, hoc in vitium incuriæ, securitatis ac oscitantiæ ipsi haud imputatur, utpote pro quo jam lex ipsa vigilavit, novationi hanc naturam implantando, ut prior obligatio, sicuti cum omnibus suis virtutibus, ita & vitiis consumatur, nec ampliùs consideretur. Prout brevissimè sed eleganter philosophatur JCtus Paulus *lib. 69. ad Edict. l. 19. fin. ff. de Novat.*

§. XXXIIX. Si urgeas quid, si scivisset, aut scire facilè potuisset? Resp. JCtus: Factum, & ex mero accidenti esse, quòd aliquem aliquando scivisse contingat; jam verò non spectanda, quæ raro & merè contingenter existunt; sed quæ regulariter & per se: Non quid contingit in concreto, unum certum hominem scire, sed in abstracto, quod regulariter ab omnibus scitur, ac facilè sciri potest. Resp. Secundò, non teneri eum scrupulosè investigare, quia vitii notam incurreret: Nemo autem ad id faciendum impellitur, quod si fecerit, vitium foret; liberat igitur eum ab hac necessitate Lex, efficiendo, ne omissio hæc ipsi nociva sit. Et sic quandoque ad dissimulandum quasi com-

compellimur, quò vitiosi saltem titulum effugiamus, ne curiosi faba in nobis cudatur.

§. XXXIX. Idem quod Contrahentibus, accidit, & Conjugibus, quibus nimia diligentia in possessione juris conjugalis impedimento futura: ut præstet adeò, paulò stolidiorem esse. Quando videlicet evenit, matrimonium ex capite consangvinitatis accusari: Num enim confestim à cohabitatione maritali abstinebunt? Sanè ne de fundi quidem, cujus alicui movetur controversia, possessione confestim decedere jubemur, sed sententiam & judicii exitum præstolari permittimur, cum tamen fundi dimissio moraliter æquè ac naturaliter sit possibilis ac facilis: Cur ergò ab usu corporum nostrorum cogamur abstinere, quod etiam nostræ non est spontis, certè non semper nec omnium est virium, neque hoc datum esse omnibus. Scriptura S. affirmat: Non omnes capiunt verbum hoc dicit Salvator Matth. 19. *vers.* 11. Sed propter fornicationis periculum quisque suam jussus est habere uxorem. 1. *Corinth.* 7. *vers.* 2.

§. XL. Quare, dum semel justô titulô, ex consensu parentum coram facie Ecclesiæ accepit, præsumitur licitè possidere, nec ab invicem, donec justè fiat causæ examinatio, separandi. Secus fieri Alexander III. Papa prohibuit, ad cujus testimonium & autoritatem provocat Papa Clemens III. *c.a. ut lit. non contest.* & qui contrarium fieri desiderat, atque ad hoc impedimentum provocat, ipse id probare necessum haberet; quid enim hoc ad eos, pro quibus jura jamdum vigilarunt, jubendo, ut hæc omnia fiant maturiùs & ante copulationem, quem in finem & publica fiunt proclamata de suggestu, werden aufgebothen / cum elogio, wer da wieder was zu reden / thue es bey Zeiten etc. Quamdiu enim versatur matrimonium adhuc contrahendum, utique probationes contra illud admittuntur, nec copulari, multò minùs cohabitare, aut debitum conjugale exigere permittuntur, ut ne quidem existentes, qui con-

trarium probare velint, audiantur *c. 6. de Probat.* Multa tolerantur re non ampliùs integrâ, & à posteriori, quia factum non potest fieri infectum; quæ à priori sunt prohibita, nec admitterentur, præprimis si exindè oriturum esset scandalum *conf. c. 10. de probat. j. c. 13. de rest. spol. c. 12. de Testum.*

§. XLI. Neque obstat superiori sententiæ nostræ, de possessione ante finem causæ non auferenda, *c. 10. de sent. & re jud.* ubi mulier secunda privatur jure suô ante finem causæ: Nam illud matrimonium lite pedente erat contractum, adeoque non aderat possessio à jure probata. An autem motâ inter conjuges accusatione de adulterio, idem obtineat, ut alter suâ possessione non fraudetur? quærit Abbas *ad h. n. c. n. 5. & 6.* Nos inconvenientem huic textui casum putamus: quis enim aut quid dissimulet? An adulter suum delictum, an sui accusationem? an innocens actum in se exercitum? at oporteret valdè somnicolosum esse! an notitiam adulterii? at verò accusasse dicitur. Ergò vindictam fortè? Sed obstat, quòd qui debitum exigit, aut reddit, videatur alteri adulterium condonasse. conf. Dn. Præses *in not. Disp. Schnob. 14. th. 27.*

Objectum.

XLII. Objectum Dissimulationis quodnam sit, aliunde meliùs haud cognoscitur, quàm naturâ ejus perspectâ; eam autem metaphorica illius denominatio utcunque repræsentat, à destructione, remotione & negatione similitudinis, atque adeò ab ipsa naturâ deducta, cujus institutum est, & multiplicare & diversificare, unde etiam semper novas properat edere formas, adeò, ut, quot Entia etiam sint in hoc universo, tot quoque distinctæ sint species externæ, in tantum, ut in tanta hominum multitudine, qui omnes unius speciei sunt individua, sola facies fuerit reperta, quæ omnes diversificare ac dignoscibiles facere possit.

XLIII. Sapientissimæ matris hujus, ingenia pictorum

& ma-

& manûs oppidò sunt æmulæ, atque imaginem archetypo suo simillimam, diductâ vel unicâ lineâ reddunt difformem. Non multum ab his recedunt rebus seligendis præpositi, qui paribus paria jungendo & ante oculos ponendo, de cæteris judicantes, disparia tandem inveniunt, separantque. A quâ collocatione & commensuratione Germanus paria Gleiche/ quasi Gelege / & disparia Ungleiche/ quasi incongrua & ad mutuam collocationem inepta, dicit.

XLIV. Erit itaque Dissimulatio similitudinis destructio, remotio, aut certè negatio. Ex quo illud non potest non evadere: Verum atque unicum dissimulationis objectum non videri aliud ullum esse, quàm Superficiem, seu rerum supremam atque externam faciem, quâ sive intellectui, sive sensibus nostris se insinuare seu repræsentare, atque inde tum in se cognoscibiles, tum ab invicem dignoscibiles fieri possunt; quam faciem dissimulans, si non alterare potest, sanè hoc agit, ut impediat cognoscendi cupidos, quò minùs verus rei status iis patescat. Oportet ergò quantum ad alterum requisitum, in dissimulantis manu atque potestate, sive naturali, sive morali positum eam esse, ut vel reformare, vel accessu cognitionis alios prohibere possit.

§. XLV. Erit igitur à contrario *objectum negativum* illud, quod immutari, vel occultari nullô modô potest, quod excedit suas vires vel naturaliter, ut sunt ex Rebus Immobilia; ex Factis, Notoria. Vel moraliter, sic in genere morum ignorantia seu occultatio Juris non est permissa. Econtrà *positivum* erit, quicquid occultari naturaliter potest, vel moraliter est permissum: Quale quid vel in aliis existit, vel in nobis: seu, vel penes alios quid est, quod nobis debetur, sed denegatur, adeoque adversus nos peccatur, nos verò inadvertentiâ studiosâ transimus: Vel penes nos quid est, quod aliis debetur, vel certè ab illis desideratur, nos autem dissimulando denegamus: Illud jura activa, hoc passiva dixeris. Utrobique vel alicujus interesse

tereſſe concurrit, vel non concurrit; Haud rarò noſtrorummet quoque intereſt. Quæ ſi attendas, unà quousq; licita ſit vel illicita diſſimulatio, facilè cognoſces.

§. XLVI. Primi nunc prodeant, quibus obſequii gloria relicta, ac recordentur, quàm ſancta debeat eſſe ipſis tum perſona Principis, tum ejus juſſa; Reverentiam utrique debent. Sed quoties impingimus in ſupremi Numinis Sanctiſſimum Nomen, legesque Sanctiſſimas! Prioris diſſimulationem nemo polliceatur ſibi, ex quo in ſecundo Decalogi præcepto comminatus eſt, ſi quis nomen ejus aſſumſerit in Vanum, id haud laturum inultum! Sed enim, ex quo abſolutiſſimè pro nobis ſatisfecit Filius ejus unigenitus, liber ad Deum acceſſus, atque ampliſſima licentia quotidiè petendi facta, Remitte, condona, diſſimula! quis animadvertit, quoties peccet! Domine, dimitte peccata occulta! *Pſal. 19. verſ. 13.* Ipſemet Salvator opprobrium factus bajulavit morbum noſtrum *Eſa. 53. verſ. 34.* quid eſt igitur, quod pudeat nos Crucis Chriſti? Illius diſſimulare non debemus opprobrium, qui probra noſtra delevit. *c. 15. circa fin. de Judæis & Sarrac.*

XLVII. Deum in iſthac clementia imitantur, quos vicarios ſibi fecit in terra, ac proterviam ſuorum ſubditorum ſæpius diſſimulant, quàmvis & ſuam ſimul cauſam agant, ac prudenti quadam neſcientiâ, majori ſe ſubducunt malo, ſuô tempore, quod ſui eſt officii facturi, Wolten es ſchon wieder herrein bringen / ſcil. vir fugiens bis pugnabit.

§. XLIIX. Exempla hujus rei ſuppeditant nobis hiſtoriæ ſuperiorum temporum, jamtum ſuprà §. 22. & 23. quoque allatæ, de Johanne & Alberto, item Leone Megapoleos Ducibus, quos ſponte ſuâ imitatus eſt Bogislaus VI. Pomeraniæ Dux, quando Roſtochienſes novam munitionem ab ipſo ceptam deſtruxerant: Ipſe verò factum infectum reddere non poterat, dum majoribus implicabatur. Nam priori ſuô inſtitutô antiquatô, prudenter admodùm diſſimulavit, & paulòpoſt quoque vitâ functus eſt. Lindenb. *Chron. Roſtoch. L. 2. c. 13. in fin. p. 68.*

§. XLIX.

§ XLIX. Ad Principem nullius rei major, quàm cultûs divini, ac purioris religionis pertinet cura, ejusq; diversitatem, dum res adhuc est integra, quantô potest opere, prudentiâque debet impedire. Quòd si deprehendat, subditos pro opinione sua Deo magis quàm Principi obedire, atque conscientiarum libertatem, regnô suô patriâque illorum contrà chariorem esse, atque aliò discedere malle, sed & citra seditionem remanere velle: præstabit sanè his, quàm nullis imperare; atq; pari prudentiâ dissidium hoc religionis dissimulare.

§. L. Jesuita Ribadeneyra *in tr. de las virtudes del Principe Christiano, Perscripto ad Regem Hispaniæ Lib.* 1. *cap.* 26. scribit: Quando regnum integrum vel potissima ejus pars novâ religione inficitur, docere prudentiam Christianam dissimulare, ne damnum majus quàm lucrum exindè proveniat. la prudencia ensenna à dissimuler, par no hazer, mas damno que provecho. Neumajr, *de Neutralitate cap.* 13. *apud Lundorp.* Sed thema hoc de religionum in eodem regno pluralitate, & num præstet bellô extirpare quàm tolerare, ad Scholas politicorum pertinet.

§. LI. Dantur & religionum dissimulatores, præprimis cùm mutationem & transitum machinantur ad aliam, qualiter Palatinum Neoburgum 1613. fecisse, Nicol. Helvicus *Theat. histor. Lib.* 6. *pag.* 144. *a. in pr. & circa f.* scribit; suô modô quidem & si causas humanas spectes, prudenter, ne scopo suo obesset; quàm bene autem conscientiæ prospiciatur, ad Theologos pertinet. Verum est, ob religionis diversitatem, quandoque multiplici lucrô carere, & ingentia damna perpeti cogimur, nec à conviciis usque cessatur, sed silentiô hæc transmitti, tutiùs est atque prudentiùs, in eoque laudantur Argentinenses ab eodem Helvico *dict. tr. hist. Tom.* 1. *Lib.* 2. *pag.* 53. *circa fin.* quòd convicia per Catholicos sibi illata dissimulaverint.

§. LII. Princeps cum Principe extero comparatus,

eandem videtur ſtatum habere, quem vicinus cum vicino; quia & ipſi ejusdem Reip. rationalis ſeu gentium Senatores & concives exiſtunt. Quemadmodum autem privatos inter, fœcunda mesſis contentionum quotidiè exſurgit, ſi quis oblatam conditionem toties arripere velit; Sed multa danda ſunt vicinitati juxta illud: Aliquid mali propter vicinum malum, & aliud Germ. Mit Nachbarn hebt man Zäune auf. Ita Reges Regibus aliquid pacis conſervandæ gratiâ condonare, quàm belligerare præſtat, juxta illud Terentianum: Omnia priùs, quàm armis experiri ſapientem decet. Unde Svecus in Manifeſtatione cauſarum ob quas bellum adverſus Danum Anno 1644. ſuſcipiebat, toti orbi ſatis exponere vix poſſe dicit, quanta & quoties mala per Danum illata disſimulaverit.

§. LIII. Præprimis autem alter alterius facta, conniventibus adſpicit oculis, quando animadvertit, intentionem agentis non eò directam eſſe, ut alteri noceatur, ſed ut aliorum attentata, qui utriusq; pace & tolerantiâ abutuntur, coerceantur. Ita cùm Regina Angliæ, quosdam ſui Regni incolas, eum ſolum in finem, tonſuram ſuſcipientes, ut ſub habitu clericali ſubterfugerent onera regia, cæteroquin Pontificis Jdictionem minimè agnoſcentes, ſed mediâ viâ incedendo, utrumq; magiſtratum & ſecularem & Eccleſiaſticum eludentes cerneret, & ad Pontificem deferret, atque ne ægrè ferret, rogaret, ſi ſuô contra aſtutos illos amphibios uteretur jure: Papa, quicquid in tales larvatos clericos Regina ſtatuerit, æquô animô toleraturum, nec Jdictionis ſuæ turbationem reputaturum ſpondet *c. 9. de Cler. conjug.* Patet hinc intutam eſſe immunitatis ſpem à disſidiis Principum deſumtam, quia facilè illis convenerit!

§. LIV. Sed redeamus unde diſceſſimus, ad disſimulationem Principum erga actûs ſuorum ſubditorum. Nim. leviora errata facilè diſſimulantur, unde evidens Reip.

damnum

damnum non impendet, & quæ ex singulari destinatione non provenisse vident. Libellum repudii Moyses non concessit quasi licitum & rectum, sed propter duritiem cordis Judæorum, hoc genus repudii toleravit & dissimulavit, tanquàm levius malum, ne gravius quippiam ab iis admitteretur. Bronch. *Cent. 1. miscell. Quæst. 99. p. 244. med.* Et quis dubitat, Respubl. quæ lupanaria tolerare dicuntur (si sunt quæ tale quid faciunt, & non fabula est relatio de illis) in relatione & pro declinatione majoris mali ea dissimulare. Ex quo eodem fonte sponsalia impuberum Pontifex celebrari tolerat, pro bono sc. publicæ pacis & ex necessitate *c. 2. in fin. de Despons. impub.* Sic & errata puerilia & delicta juventutis haud raro patienter dissimulantur, uti patet ex *d. l. §. 33. h.*

§. LV. Sic & in iis, quæ ad solennitatem magis negotiorum & formam externam, quàm essentias rerum & moralia pertinent, faciliùs dissimulatur *c. 28. & infr. 2. de Elect.* Pœnas denique & antegressa delicta non raro, atque prægnantibus de caussis dissimulari ex *l. 14. ff. de Off. Præs.* ejusque analysi hujus disputationi præmissa constat.

§. LVI. Quòd si verò ex adverso magistratus animadvertat, malum ingentius, quàm ut possit dissimulari, quòd forsan incorrigibile sit, & inveteratum, duro nodo durum quærit cuneum, ac neutiquàm dissimulat. Sicuti Simoniacam pravitatem in locatione Jurisdictionis Ecclesiasticæ, Pontifex se concoquere non posse, expresse protestatur *in c. 2. in fin. Ne Prælat. vices suas vel Eccles.* sicuti nec fraudem legibus factã *c. 26. inf. de Privileg. & excess* ubi Prælati verborum tenorem servabant, sensu eorum transgresso & eluso, contra *l. 17 ff. de L.L.* Nec polypragmosynen clericorum & immixtionem in negotia secularia *c. 8. & infra 1. Ne Cler. sec. neg. se immisc.* Nam vel Pontifex ipse metuit reatum culpæ coram Deo, si his actionibus conniveat *c. 5. & infra 1. de Sim.* Sanctior quoque est Ec-

clesia Domus Dei, quàm ut solà dissimulatione prætermittamus peccata extantiora in illa admissa, ac propterea purganda venit;etiam propter nudam eorum suspicionem *arg.c.5. de Adult.* Ubi suspicio solùm fuit contra sacerdotem perpetrati in templo adulterii, ob cujus incertitudinem dissimulatur quidem de ejus pœna, non verò de templo purgando.

§. LVII. Privatorum ad invicem similis est ratio, utpote circa quos pariter notamus jura activa & passiva, seu quantum quisque alteri vicissim debeat. Si cui jura legibus tributa, ad ipsum ut talem, & citra concurrentiam alterius interesse, competentia negentur, dissimulare potest, quousque alius quisque juri pro se introducto, gratiis & beneficiis juris potest renunciare: quam assertionem, tanquam in notorietate fundatam, exemplorum allegatione consolidare non est opus. Nam doctrina de injuriis quemque docet, dissimulatione remitti *§.fin.J.de Injur.l.11.§.1.ff.eod.* Dn Struv. *Exerc.*48.*th.*64. Schnob. *Disp.*24.*th.*12. Quamprimùm verò alterius (Reip. forsan, Dominorum nostrorum vel proximi nostri) simul interesse incipit, Dissimulatio licita esse definit.

§. LIIX. Sic dotes quidem proprium mulierum sunt patrimonium *l.3.§.5.ff.de Minor.* Quia tamen Reip. interest, indotatas non esse mulieres; planè improbatur pactum, quò mulier, quæ in calore iracundiæ divertit, liberis autem sublatis post jurgium reversa, per dissimulationem, veluti venali concordiâ, ne dotata sit, conveniat *l.27.ff.de pact.dotal.* Sic ad uxorem solam pertinere videbatur, cohabitatione mariti exhilarari, an ab eodem deseri. Attamen si ex solo tædio uxoris vetulæ transeat ad religionem, eâ defunctâ ad seculum rediturus, non permittitur, utcunque dissimulante desertionem conjuge, factum *c.10.de convers.conjug.*

§. LIX. Ex his quæ alteri debemus, potissimum Candor est, ut ne quid celemus, quod ad necem ejus qua-

vis

vis ratione pertingere poteſt. Hinc potiſſimum vetamur occultare aut diſſimulare ſtatum noſtrum, qui eſt character cuilibet à jure pro dignoſcendis perſonis impreſſus. Qualis quisque ſict, non privatorum ſaltem refert ſciri; verùm & Reip. Ad militiam non promiſcuam hominum fecem & colluviem legi, propterea Reip. intereſt, quia hujus ſalus eorum virtuti concredenda venit; Quare, ſi in Inſulam deportatus effugiens, militiæ ſe dedit, lectusve diſſimulavit, capite puniendus eſt *l. 4. §. 2. ff. de re milit.* temporarium exilium Voluntario militi inſulæ relegationem aſſignat, Diſſimulatio perpetuum exilium *§. 3. eod.* Sic ſtatum religionis, quò Chriſtiani ſumus diſſimulare non decet *cap. 15. circa fin. de Jud. & Sarrac.* ſicuti nec quævis beneficia & gratias ab aliis perceptas.

§. LX. Improbum ſanè & probroſum quoque eſt, in poſterioribus obligationibus, quibus res oppignoranda venit, diſſimulare, eandem jam pluribus eſſe oppignoratam *l. 1. C. de Crim. Stellion.* Addas, quòd expediat, disſenſum & contrariam voluntatem proximo non disſimulari, quoties ſuâ gratiâ, & citra noſtrum damnum non debebat eam ignorare. Nam taci & disſimulatione contrariæ voluntatis non eſt fallendus is, qui fidem amici invocat. Oldendorp. *Claſſ. IV. act. 24.* Hinc eleganter Cicero *pro Roſc. Amerino.* Quid recipis mandatum, ſi aut neglecturus, aut ad tuum commodum verſurus es? Cur mihi te offers, & commodis meis officiô ſimulatô officis & obſtas? recede de medio, per alium tranſigam. Marqv. *tr. de mercat. Lib. 2. c. 11. n. 50. p. 30.*

§. LXI. Deinde nec ſcientiam noſtram disſimulare convenit; id quod omnes qui officium ab aliis habent, ejus tuendi cauſâ facere atque contraventiones denunciare tenentur v. g. Venatores ac Foreſtarii, Jägerreuter / Schützen / Jagt-Wald- und Forſtbediente / venationes illicitas neutiquàm disſimulare durch die Finger ſehen / permittuntur.

tuntur. *Corp. Jur. Sax. Noviss. p. 518.* Huc spectat quoque quæ provinciarum Rectoribus ob dissimulationem dicti-ctatur pœna *l. f. C. ad Leg. Jul. de vi publ.* Ita scientiam delictorum per alios in nostris domibus patratorum neutiquàm impunè dissimulare permittimur; Sed si v. g. in alicujus domo Evnuchi fiant, Dominô dissimulante, confiscationi obnoxia est. *l. 1. C. de Evnuch.* Pari ratione, qui scienter dissimulant Blasphemias in suis domibus evomitas, pœnæ subjacent. *Ord. Polit. Elect. Sax. 1548. Tit.* Von Gotteslästerern. *vers.* Welcher obgemelte ꝛc.

§. LXII. Aut si suspicione atque indiciis illicitæ dissimulationis oneremur, juramentô nos purgare oportebit. Ita si quis conjugis sui absentiam probabilem, juxtà cum loco commorationis dissimulat, ad effectum noviter nubendi, purgatoriô juramentô gravari poterit. Carpz. *Jprud. Consist. L. 3. d. 59. rubr, & per tot.* Et cùm dilatorias exceptiones post L. C. afferre non liceat, nisi quæ ex tunc ad Reorum notitiam pervenerunt; pariter si contra quem suspicio notitiæ militat, spontaneam nescientiam & dissimulationem ejurare cogitur. Carpz. *Process. Tit. IX. a. 7. n 12.* Et huc omnis illicita reticentia referri potest, eorum præsertim, qui ad denunciandum obligati sunt, de quibus Vid. Dn. Præs. *Disp. de Reticentia.*

§. LXIII Quod si tamen statum tuum semel bonâ fide nactus es, nec alios refert, non ipse propalare confestim ac promiscuè teneberis. Sicut Regum ac Principû Legatos aliquandiu incognitos alicubi vivere, quotidianis novellis docemur Nec possessionē bonâ fide nactam deserere ad leviusculos rumores & instantias teneris, sed si quis in contrarium quid afferre velit, salvô jure ac possessione nostrâ faciat, licet. Quæris, si quando matrimonium ex capite incestûs accusari contingit, an statim sit carnale commercium suspendendum: aut quamdiu consanguinitas dissimulari possit, vel matrimonium sustineri? Respondet Pontifex *in c. 2. ut lit. pend.* ut suprà §. 39. & 40. dictum.

Forma-

Forma.

§. LXIV. Naturam Dissimulationis, ejusque modum ac formam, non est, quare longinquiùs conquiramus, postquàm ex his, quæ de diversis appellationibus, significatibus & objecto dicta sunt, satis cognosci potest: Generaliter enim & abstrahendo à sensu juridico, Negativum quid infert, idque non in sensu neutrali seu absoluto, sed activo, cum repressione, celatione, occultatione & absconsione. Non quasi verum causæ statum destruat, nam facta infecta fieri non possunt, & nemo potest facere, ut quæ furtivè possidentur, non possideat ex tali causa; confer Schnob. *Disp. XX. th. 22.* Sed quòd internum, verumque statum eluctaturum reprimat & impediat, quò minùs in publicum se prodat, atque ei, quem latere eum cupimus, se præsentet; ut si quis mente consternatus, nolit circumstantes illud animadvertere, jucundam faciem corrugatæ fronti pallidisque genis superinducat. Atque adeò semper in dissimulatione simulatio, & positio in negatione comprehenditur.

§. LXV. In specie tamen, ac in quantum juridicæ considerationis est, suis quoque cancellis inclusa, juxta regulas juris examinanda: Videtur autem tribus hisce capitibus absolvi, ut conformis sit Justitiæ, Benignitati ac Prudentiæ. Justitiæ quidem, quia hæc ipsa requirit mentis puritatem ac sobrietatem, in quovis ad se ipsum relato; dum in primo juris præcepto Honestatem præcipit. In secundo autem, manuum puritatem atque Innocentiam in conversatione cum proximo, quantum ad ipsius personæ atque corporis sui securitatem attinet; dum Neminem Lædere præcipit: Dum verò Suum cuique tribuere jubet, affectuum moderationem & legitimum sanæ rationis usum injungit; seu, ut in applicatione prædicati ad subjectum, copulatione rerum cum personis, Judicii acrimoniam & candorem ostendamus.

§. LXVI.

§. LXVI. Quare, qui dissimulando adversus honestatem impingeret, ut si Maritus uxoris adulterio conniveret, adversus Justitiam peccaret, ejusque dissimulatio plane illicita, imô ne hôc quidem, sed lenocinii nomine digna foret. Pariter qui dissimulando contra Charitatem proximi quid admitteret, ut si constitutum in periculo, quem aut manu, aut clamore, aut quô modô liberare posset, nec fecerit, is Justitiæ, Neminem lædere volenti, minimè satisfaceret, quia verba legis teneret, suâ manu non occidendo, mentem tamen contemneret, periculum ab aliis imminens non impediendo vel avertendo *l. 17. ff. de LL.* Jam verò qui non est nobiscum, est contra nos, & qui nobiscum non colligit, dispergit. Luc. 11. *vers.* 23. quare tenemur periclitantibus succurrere Schnob. *Diss. 1. th. 9.* & oculos ab eorum statu non avertere.

§. LXVII. Similiter qui dissimulando affectibus nimiùm indulgeret, v. g. Si Heli ad omnia filiorum suorum facinora ne frontem quidem corruget, & austeram in natos faciem ostendat, quomodò jus inter suos filios & extraneos ex æquo distribuisse, dicatur? Plura non addemus: nam & superius plura jam dicta sunt, & cætera Lectoris Benevoli dexteritas facilè supplere potest.

§. LXII. Quia tamen natura humana multis imbecillitatibus obnoxia, non Rhadamanteam requirimus severitatem, sed Dissimulationem; Lenitatem, φιλανθρωπίαν καὶ φιλαγαθίαν admittentes, atque ut alius expressit: Ut gladius Justitiæ oleô Misericordiæ inungatur. Nam sicut Ratio Juri, ita Benignitas Æquitati tribuitur *in l. 25. ff. de LL.* Et ut sæpiùs dictum, Summum jus summa sæpè injuria est, & si legibus juxta earum vigorem semper insisteremus, perversuri easdem essemus, prout prudenter Imperator militibus, testamentaria privilegia & immunitates suas nimis rigidè urgentibus in *§. 1. f. J.*

de

de milit. test. respondet, quare ex Consilio Celsi JCti *in l. 18. ff. de LL.* benigniùs leges interpretandæ sunt, quò voluntas earum conservetur, præprimis verò, juxta declarationem Gaji JCti, in eventibus dubiis, ubi non constat, quô animô gestum sit illud, de quo vindicando aut transmittendo agitur *per l. 56. ff. de R. J.*

§. LXIX. Sic in processibus injuriarum, quando verba quæstionis ambigua sunt, ut possint quidem trahi in sensum injuriosum, non tamen ex præcisa necessitate, Reus ad declarationam honoris oblatam admittendus est. *vid.* Jehnische Hoffger. Ordn. *cap. 33. §. 1. p. 64.* Nim. non lentô pede ad benigniores partes eundum, sed RAPIENDAM occasionem ejus esse, Paulus JCtus in *l. 168. pr. de R. J.* statuit, aut si CAPIENDAM legere malis, perinde habemus: quum in venatione, si qua fera bestia venerit in occursum, capitur utique, nec prætermittitur: vult igitur JCtus nos Benignitatis venatores esse. Et hujus rei vestigia commonstrantur nobis in *l. 24. ff. de Reb. Dub. l. 4. ff. Mand. l. 3. §. 14. ff. de Statulib. l. 20. f. ff. de Reb. Cred. l. 3. in fin. ff. de his quæ in test. del. l. 42. ff. de Pœn. j. c. 18. de pœnit. distinct.* 1. & pluribus aliis, è quibus hos seligere volui, ut constet saltem, quàm amplus dicendi campus apertus sit, si modò horum occasione Benignam in dissimulando Justitiam ostendere, & opús dilatando gloriari velimus.

§. LXX. In hac ipsa tamen Benignitate modus servandus, ne dum à rigore nimium deflectimus, in vitium oppositum oscitantiæ, nimiæ securitatis, incuriæ & inadvertentiæ incidamus. Quare & Prudentiam requirimus, atque dissimulantem respicere jubemus, tùm (1.) ad LL. earumque custodiam, ne dissimulatione deludantur *l. 2. §. 4. C. de Jurejur. propter calumn.* præprimis si peccata & contraventiones non sint obscuræ & occultæ, ut citra scandalum & sine periculo dissimulari possint, sed notoriæ, *c. 17. & infra 1. circa fin. de Accus.* aut

E Enor-

Enormes *c. 19. pr. eod. tit.* unde & in Scholis Theologorum peccata alia venialia, alia clamantia in cœlum commemorantur (2.) ad Proximum, cujus tum Famæ parcendum *§. 2. in fin. de suspect. tut.* tum & existimatio quavis ratione conservanda, nec scrupulosiùs aut delatoriè inquirendum, sed palliô Christianæ charitatis quædam tegenda; Carpz. *Jurisprud. Consist. L. 2. def. 237.* tum Rei familiari; ne quid ei desidiâ & dissimulatione nostrâ decedat, quod præprimis officialibus dictum est. vid §. 61. *h.* (3.) Denique ad se ipsum, ne præposterâ & intempestativâ cujusvis injuriæ devoratione, Wenn er alle Pillen verschlucken wolte / non modò non sopiat animos calumniis & injuriis insatiabiles; sed irritet: Unde elegantem doctrinam suggerit JCtus pro uno quovis Magistratu *l. 9. ff. de Offic. Proconf.* ut nimirum patiens sit, sed cum judicio; conniveat quidem, non tamen adeò dissimulet, i. e. secundùm *Gloss. ib.* nimium vel in tantum ut contemptibilis videatur, sed medium teneat, & autoritatem dignitatis ingeniô suô augeat. *l. 19. §. 1. ff. de Offic. Præsid.* Id quoque Gallus *lib. 31. histor. Thuani* observasse scribitur: noluit scil. is cedere, ne ignavâ patientiâ infirmitatem tueri, & dum se ad præsentia accommodet, homines audentes ad novam olim inferendam injuriam præposterâ dissimulatione provocare videretur, *Marqv. de Commerc. lib. 2. c. 3. n. 77. p. 204.*

Effectus.

§. LXXI. Omnis Dissimulationis Effectus in legitimo usu vel abusu Prudentiæ & Benignitatis conspicitur. Benignitas, Patientia, Tolerantia & sim. si justô tempore & modô adhibeantur, multa causantur bona, & multa præcavent mala, dum injuriæ ab aliis avertuntur. All zu scharff macht schärtig / wenn man al-

les

les wil zu Bolzen drehen / quando ex quovis ligno fieri debet Mercurius: multa pessundantur, dum quæ cupis efficere, fieri non possunt, & quæ poterant, quodque natura in iis destinaverat, non instituitur; & injuria illis infertur, & damnum redundat in eum, qui tenaces ita fovet opiniones. Sicuti privati nullius existimatio dependet à privato, & tantum abest, ut calumniis ei aliquid possit detrahi, ut in hominum opinione saltem consistat: Ita benè alter dissimulando dimittere potest, cogitando: quid si me asinus calcitret! præprimis verò, quando alterum pœnitet & deprecatur, quia pœnitentia efficit, ut delictum non fuerit. Verùm prolixiores non sumus, dum caput hoc à Dd. in doctrina de injuriis sedem acceperit.

§. LXXII. Sed altero oculô in Benignitatem defixô, alter ad Prudentiam intentus esse debet. Nam ex nimia tolerantia, Unempfindligkeit contemtus oritur, & ad plura inferenda mala invitantur petulantes, & ad nocendum intenti: Cui declinando occupatus fuit Gallus, cujus ex Thuano suprà §. LXX. mentionem fecimus.

§. LXXIII. Sicuti verò nosmet aliis vexandos non debemus propinare: Ita vicissim nec fallere alios decet. Oldendorp. *Class. 4. act. 24.* Neque præjudicare his, qui fidem nostram elegerunt, vigilantiam & contradictionem nostram desiderant. Nam ubi damnum ad eos sit redundaturum, ad nos id pertinebit, de eo respondere cogemur, mussen Rechenschafft davor geben. Sicuti redundare potest v.g. Jurisdictio locata *c. 2. f. Ne Prælat. vices suas vel Eccles.* Et licèt dissimulatio unius non debeat præjudicare alteri *c. 10. de conversione conjug.* multoties tamen, quod de jure non debebat, de facto contingit. Et sic res est periculô ejus, qui dissimulatione suâ nocuit alteri. Sanè vel Papa culpam metuit & reatum, si dissimularet mala *v. c. 5. & infra 1. de Simon.* Dignitatis enim

privatio indè pendet *l. f. C. ad L. Iul. de vi publ. & priv.* quæ pœna maneat eos, qui dissimulatâ deportatione suâ vel relegatione, militiæ nomina dederunt, jamtum sub consideratione Objecti §. 59. monitum fuit. Quem dissimulationis effectum sentire soleant Creditor vel Debitor pupilli, qui dissimulatâ obligatione tutelam suscipiunt, ubi ille jus crediti amittit, hujus verò solutio, quam prætendit, nullius momenti evadit, de his vid. *Novel. 72. c. 1. & 4.* Dn. Struv. *S. C. Exerc. 31. th. 56.* Schnob. *Disp. 15. th. 9. & ibi in not.* Dn. Præses. Carpz. *p. 2. C. 11. d. 17. seqq.* & alibi. & qui rem variè controversam tandem definit Serenisf. Sax. Elect. *Decis. Noviss. 34.*

Opposita.

§. LXXIV.

Opposita sunt (1.) Simulatio & Jactantia eorum quæ non sunt. (2.) Propalatio Secretorum. Sed ad finem properans hæc aliis relinquo, & spe fretus vivo, fore nimirum, ut B. L. si quædam minùs ad palatum facientia offenderit, pro candore suo, veniam mihi non sit denegaturus. Meliora fortè suppeditabit, cui prolixior hîc commorandi terminus concessus fuerit. Interim DEO ter Opt. Max. qui post innumera beneficia, vires quoque hasce clementissimè largiri voluit, sit:

Sempiternus Honor & Gloria!

Civilis & Prudentiæ eſt & fraudium,
Quam disſimulandi dicimus artem regiam:
Beatus hic, qui jugibus fruiſcitur
Et JURIS & PRUDENTIÆ complexibus!

Quos Præſtantiſſimo Dn. Reſp. & Autori hujus ſpeciminis Academici, gratulatur optima quæq; apprecans.

Joh. Schilter D.
Conſil. Aulæ Saxo-Jen.

* * *

Ne, prout eſt tritum, *Jus ſummum Injuria ſumma*
fiat, Tu medium: *Disſimulare*, doces
Heydecci; Mentis ſic dotes prodere perge,
Hinc etenim largus Te remanebit honos.

Sic Clariſſimo Dno. Reſpondenti, domeſtico & Auditori meo aſſiduo, à pietate & morum innocentia commendabili, votivus adſurgere ex merito volui debui.

PRÆSES.

Huc, quisquis Themidem fucato pectore
fingis,
Adsis, quàmque odit dissimulare scias.
Candorem laudat scriptis, *Heydeccius* ipse
Candidus: est *verus* sic mihi *Philosophus*.

De eximiis in Jure profectibus editoque hoc specimine egregio, Amico & Auditori hactenus meo perdilecto ex animo gratulor

Matthias Jessen D.

* * *

Omnia sincerè fiant simulatio cesset.
Nec quid dissimula! fallit utrumque fidem.
Ad tua mendacis rapias quod retia linguæ
Incautos, laus est non cupienda bono. (format,
Sancta Themis gladium stringit, malè pacta re-
Non impunè sinet quærere fraude lucrum!
Non mereat similem tua Dissimulatio pœnam?
HEYDECCI! *lucrum cum velit ipsa suum.*
Fallimur! Hìc ficti nihil est, sine tegmine cuncta;
Ipsius ac fictas detegis artis opes.
Non Tibi dissimulo laudes sinceraque vota:
Cum mihi nec studii dissimulator eras.
Sic perge! Speraque! aspires! Obvenit illi
Qui sic dissimulat non simulatus honor.

Lmqꝫ applaudit
Nicolaus Zapfius.

Hoc opus Eximium Tibi DISSIMULA-
TIO dictum
Ecce animi Donum dissimulare nequit.
Hinc quoque non potero TIBI Votum dis-
simulare,
Laudibus in magnis cresce! vigesce!
precor.

Pauca hæc Nobilissimo Dn. Respondenti,
Eruditæ hujus Dissertationis Autori,
Amico suo svavissimo gratulabundus apposuit

G. H. VVeidmann.
LL. Stud.

* * *

Prudenter monstras, quæ *Prudens* atque *Benigna*
Justitia, & rectè *Dissimulare* siet.
Sic sapis HEYDECCI, sic non, sudasse, pigebit;
Nam labor hic clarus clara brabea feret.

Honoris & Amoris ergò gratulabundus feci

H. D. V. Freywaldt.

Quan-

QUantùm quæſieris Sacrata Palatia Phœbi,
Monſtras, dum Cathedram ſcandere rite paras.
Gratulor hinc cœptum multô conamine partum!
Hoc TIBI cultori digna brabea feret.

Eximio Dno Autori ac Contubernali ſuaviſſimo ſcribebat

Johannes Henricus Thrum,
LL. Stud.